



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Religioni Augustinianæ. Sub Auspiciis Reverendißimi, Perillustris, ac  
Amplißimi Domini, Domini Adami, Celeberrimi Monasterii Sacri Ordinis  
Canonicorum Regularium S. Augustini, Foundationis S. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

RELIGIONI AUGUSTINIANÆ.

SUB AUSPICIIS

*Reverendissimi, Perillustri, ac Amplissimi Domini, Domini*

**A D A M I,**

Celeberrimi Monasterii Sacri Ordinis Canonico-  
rum Regularium S. Augustini, Foundationis S. Leopoldi, ad D.  
Virginem Clauetro-Neoburgi mericissimi Prælati, Sacræ Cæsareæ  
Majestatis Consilarii, &c.

*Reverendissimi, Perillustri, ac Amplissimi Domini, Domini*

**N O R B E R T I,**

Ejusdem Sacri Ordinis, & Nobilissimæ Rosensium  
Foundationis Canonice Trebonensis ad S. Ægidium, Præpositi  
Dignissimi mericissimi, &c.

NEC NON

*Reverendissimorum ac Amplissimorum*

**PRÆPOSITO RUM**

Olomucij, & Sterenbergæ,

(Tit. plen.)

Dominorum ac Patronorum honorandissimorum  
& colendissimorum.

*Reverendissimi Domini.*

**N**omina, omnia sunt! TREBONA in Regno  
Boëmiæ Sacræ Vestræ Religionis, celebris, famosa, per-  
antiqua, juribus, privilegiis & gratiis æquata aliis, si non  
superior olim, nunc injuriâ temporum & hominum mi-  
norata, Canonica, una transposita litterâ TER BONA EST. Numen  
TriUnum faciat eam sibi fieri ter bonam & fælicem! mihi pro-  
gnosticavit ter bona, solem nempe triplicem in eodem universo  
Philosophiæ Cursu, exinde vel bonum, quod ternarius sit, cum non  
facere nequeat bonum, qui perfectum reddit ternarius numerus,  
solem inquam hunc triplicem prægnosticavit terbona Trebona,  
nam eo tempore, quo studia in Patris solo discendo & in Urbe re-  
petendo

b

petendo pro modulo & tenuitate mea emensus essem, Reverendissimus Dominus NORBERTUS vir zelo, mansuetudine, affabilitate, pietate eximius, in laboribus, oneribus, curis & sollicitudine indefessus, imperterritus & infractus, Restituta jam Ordini, & Regno restituenda Canonice Trebonensi Præpositus fuit positus & Pastor, vel ex cognomine Heermann, dignus qui pasceret gregem Domini, hic vir tunc Paternarum traditionum abundantior Zelator existens, & Paterni Zeli Reverendissimi Domini Bernardi Præpositi Claustro - Neoburgensis in Christo Parentis, & pereximii studiorum Mecænatæ Æmulator, non modò foris suos studiis incumbere fecit, sed ut pietati simul & devotioni insisterent, & cum probitate alternarent scientiarum Camæna, Religiosis exercitiis studia domi adjunxit, & quasi ob Philosophiam Peripatum, imo ob Theologiam, simul Academiam quandam Claustrum suum ordinavit & instruxit, in quo peregrinas adhuc terens oras, ordinatus fui Professor & Lector, quo in munere cum jam notabilem partem Cursûs Philosophici absolvissim, incidi in opera Nebridii dolens & indignans seriùs factum quàm optatum, non quòd judicarem ad solvendas & penetrandas Recentiorum speculationes sufficientem, sed quod eadem tanti viri autoritate, vel confirmari, vel oppugnari, in laborem ejus intrando, potuissent; adjeci tamen animum in fine concordare cum mente Scoti, & cum rationibus, sententiisque Scholasticis publicæ concordiam exponere luci, cum desiderio combinationem privatis scriptionibus inferendis. Et qui omnia potest & dat cuncta moveri immobilis, qui que confortat humiles & debiles potens DEUS, fecit ut privatim auderem & ausum privatim fortunatè expedirem, expeditumque publici facerem Juris, & quàm maximè Vestri, sicut enim flumina unde fluunt refluent, sic res per quas nascitur, in eisdem resolvitur; Nam & DEUS, qui dat incipere sibi vult referri ut in Finem; quodque est corporis principium elementum, ejusdem est & finis: Elementa posui & fundamenta apud Te Reverend<sup>m</sup> D<sup>m</sup> Norberte; habe corpus exinde resultans; habe etiam superædificatam fabricam & Machinam universam angustam, & microcosmum ex me, macrocosmum & grandem ex Magno; angustam ex Augustino; & auream ex Aurelio, in ea Sol est Magnus Aurelius Augustinus Patriarcha Vester Morum perfectus director, & Sapientia clarus Instructor, est enim tantus ut totum hoc & centena similia universa eum non capiant, qui plura scripsit quàm alii etiam longâ superstites vitâ legere possint, sententias solum elegi Philosophicas & ad rationes sententiisque applicui Scholasticas, quas veluti Sol illuminat & illustrat, hinc in Iliadem quasi contractum solem tantum appello, qui aliàs immensum Scientiarum & Sapientia est Universum. Accipe eum ut Tuum & defende ut proprium, me-  
que

que protege ut Clientem. Sed erravi; Ubi est dictionis conformitas ad Inscriptionem, videor miscere quadrata rotundis, & omnia pro hiftron protron: Adam ubi es? Reverendissime, Perillustris, ac Amplissime Domine studiorum Meccenas & Fautor Præposite Claustro Neoburgensis Tuus est primo Sol meus triplex, Tibi Adame Reverendissime primo Protoplastæ nomine, tibi re debentur primæ & primitiæ istæ meæ, qui prior est dignitate & Jure, habes enim Jus quæsitum prioritatis, nam ex Sambucco Claustro Neoburgensi absecti furculi Trebonam translati Rosenfium Nobilissimorum Rosam jam marcidam, abjectam & contritam reflorescere fecerunt, credo quòd attactus veli Sancti Leopoldi Conjugis hanc integram restituendi sanitatem vim tribuerit; hinc tuus primo est. Est iterum tuus, qui enim succedit in locum, succedit in Jus; Prædecessor tuus præclaræ Memoræ Bernardus suum sibi fecit pro Norbertum, qui enim causa est causæ, causa est causati; fecit sibi eum dum infirmatum & oblatum dedicari non renuit; fecit suum per Nebriidium, qui ad hunc solem præivit ut Aurora Rutilans, & stella matutina viam demonstrans ad opus audendum & augendum, invenit ipse, ego addidi plura, terfi, concinnavi, & materiæ pulchræ suam præbui formam. — Nè quæso, replicas Dominium in Solidum habere Norbertum, quod non dabitur alteri, scis enim id non implicare, scis quoque subordinationem Dominiorum non esse impossibilem, & si esset alioquin, apud Te non esset, qui es tam Discretus, probus, omni livore carens, & quasi omnis virtutis Parens, ut non dedigneris in simili (in tuo Claustro Neoburgensis solus ut Sol) Dominio habere comparticipem, hic compatiuntur Authoritas Tua & Amor. Confido Triplicem, Solem meum nubibus disgratiarum non obnubilandum, aut à facie Sux Reverendissimæ Dominationis ejiciendum, novi enim præclarissimas animi dotes, novi affabilitatem, novi benignitatem, & ad omnes singularem benevolentiam, & non minorem ad studia Litterarum promovenda cum pietate conjuncta propensionem & animum, ut verè possem dicere successisse Atlanti Hectorem, & Studiorum Amatori Meccenatem, vestigia priorum adæquantem, imò superantem. Et quia Reverendissimi Domini Dominium vestrum hujus Solis in solidum est, in firmamento solidissimo firmate & eum hac forma prodeuntem in horizonte Vestro gratiarum collocate: Firmamento, quod solidius est pietate & scientia, calamo & gladio, Liliis Virginum & Martyrum rosis fundatum, quam illi qui sunt solidi quasi ære fusi. Suscipio ego illud, & glaucis oculis stellas innumerabiles deprehendo, ex innumero numero aliqui telescopio Sacræ Vestræ Religionis scientifico & indagativo usi, hos enumerarunt, nempe Coeli

